

**Pro gloriosissima apparitione Beatissimae Virginis
Mariae, adhuc, super Columna Marmorea Beato
Apostolo Jacobo Majori Caefaraugustae
praedicanti, & fundatione Templi Beatae Mariae de
Pilari.**

[Zaragoza?] : [s.n.], [posterior a 1698].

Vol. encuadernado con 20 obras

Signatura: FEV-AV-G-00154 (18)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente



PRO

GLORIOSISSIMA APPARITIONE BEATISSIMÆ VIR-
ginis Mariæ, adhuc viventis, super Columna Marmorea Beato
Apostolo Jacobo Majori Cæsaraugustæ prædicanti,
& fundatione Templi Beatæ Mariæ de PILARI.

AC

CONCESSIONE OFFICII PROPRII.

SUMMARIUM.



INTER totius Christiani Orbis Provincias, Beatissimam Virginem Mariam
adhuc in humanis degentem, mirabiliter Beato Jacobo Apostolo, super
Columna Marmorea, in Civitate Cæsaraugustana apparuisse, ibidemque
de mandato ejusdem B. Virginis Templum, sive Oratorium construxisse,
solemnissima est, & uniformis Traditio, ac inter Ecclesiasticas primæ notæ
absdubio recensenda, ex Eminent. Cardinal. de Aguirre, in *Collect. Concilior.*
Hispan. tom. 1. dissert. 9. excur. 7. num. 94. in fin. Edit. Romæ 1693. sed præcipuè

in Aragoniæ Regno, ubi nullus, qui de ejus dubitet certitudine, pro Catholico habere-
tur, ut observat Martin. del Rio, *Disquisit. Magic. lib. 2. quæst. 26. sect. 5. pag. 184. col. 2. Edit.*
Venet. 1652. ibi: Primò sæculo. nobis occurrit prima Hispaniæ. et fortassis Europæ totius. Ecclesia
B. Mariæ de Columna à B. Jacobo Zebedæo, cum adhuc in vivis uterque degeret, dedicata ad Ebrum
Cæsaraugustæ, quod & Annalibus Celtiberis proditum, & ad eò constanti Ecclesiæ illius Traditione
receptum, ut Catholicus ibi non habeatur, qui dubitet. Et meritò quidem, nam Traditio ista (testante
Sacra Rot. Cor. Coccino de anno 1630.) corroboratur, quasi sit de fide, taliter quòd non esset
ætentus pro Catholico, qui de hoc dubitaret.

Hinc est, quòd in Comitii Regni Generalibus, Cæsaraugustæ à Serenissimo Domino
Rege D. Carolo II. de anno 1678. habitis, sancita fuerit municipalis Lex, quà stabilitur,
ut Officium Proprium cum Octava, ac historiali narratione hujus miraculosæ Appari-
tionis enixè à Sancta Sede peteretur, ut constat ex *At. Curia, pag. 22.* Vnde, cum Comitii
Generalia (de quorum consensu leges à Dominis Regibus rogabantur) ex Ordinibus
Ecclesiastico, Nobili, Equestri, & Plebejo componantur, dubitari non valet de certi-
tudine hujus, apud Aragonenses, traditionis, tot Episcoporum, Abbatum, Cathedralium,
Nobilium, Equitum, & Plebejorum uniformi consensu comprobata.

Nec tantum apud Aragonenses, verum & apud universam Hispaniam, quinimò, &
Europam totam, receptissima est, & uniformis hæc Apparitionis traditio, ut testantur
Gaspar Sanctius *De Prædicat. S. Jacob. in Hispan. tract. 3. cap. 8. pag. 66. col. 2. Edit. Lugd. 1616.* ibi:
Vt Cæsaraugustana, imò totius Hispaniæ colit traditio. Exim. P. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de Diebus*
Fest. cap. 9. de Fest. Sanct. num. 16. pag. 182. Edit. Mogunt. 1609. ibi: *Cæsaraugustæ, & in universa Hispani*
nia est receptissima traditio, cum B. Jacobus illuc pervenisset, &c. Thom. Maluenda *tom. 1. de Anti-*
christ. lib. 4. cap. 5. pag. 203. Edit. Romæ 1604. ibi: *Perenni, & constantissima Ecclesiarum Hispaniæ tra-*
ditione exploratissimum apud omnes habetur, S. Jacobo Apostolo Zebedæi, &c. Luculentissime Joann.
Baptist. Cancellottus in *Annalib. Marian. part. 1. pag. 399. Edit. Romæ 1661.* ibi: *Crevit suc-*
cessu temporum à modicis initiis sacra molitio, quæ non Cæsaraugustam modò, aut Tarraconensem
Provinciam, sed universam quoque Hispaniam, atque ad eò Europam cobonestat; & Emin. Cardin.
Baron. in Annal. Eccles. tom. 12. Anno 1118. num. 34. pag. 129. Edit. Antwerp. 1677. hæc hæ-
bet: *Pariterque (referatur) antiquus cultus Religiosissima Ecclesiæ Beatissimæ Virginis de PILARI*
nuncupata, quæ hætenus, non solum Hispanorum populorum, sed externorum etiam visitatione fre-
quentatur, universo Christiano Orbi illustri famè notissima.

Hinc



Hinc rursus est, quod omnes, tam Archiepiscopi, Episcopi, quam Cathedralis Ecclesie Hispaniae, literis anno 1703. & 1704. S.D.N. Clementi XI. feliciter regnanti, directis, enixe deprecati sunt, ut Officium proprium cum historiali narratione Apparitionis Deiparae ad B. Jacobum Caesaraugustae commorantem, concedere dignaretur, quibus Serenissimus Dominus Noster Philippus V. Hispaniarum Rex Catholicus, ad stipulatus est idem Officium à Sancta Sede humillimè deprecatus, nuncque ejus Regio Nomine, pro eadem concessione apud Sac. Rituum Congregationem ferventissimè agitur.

Irrefragabilis nostrae Traditionis veritas dilucidè comprobatur, tum ex Romanorum Pontificum, ac Regum Hispaniae Diplomatum, & aliis antiquis Documentis; tum ex perenni, nunquam interrupto Cultu, hujus Sacratissimae Imagini Pilarensi à fidelibus exhibito; tum ex assidua miraculorum ad ejus invocationem patratorum; tum ex concordi Scriptorum, tam Exterorum, quam Indigenarum, opinione, nostram traditionem comprobantium; tum denique ex praxi Catholicae Ecclesiae, similes miraculosas Apparitiones ex traditione approbatis, & Officia propria pro eis firmandis colendisq; concedentis.

Gelasius II. in Bulla directa Exercitui Christianorum, Caesaraugustam obsidenti, Datt. Alesti IV. idus Decemb. quam omnium primus vulgavit Hieronymus Blancas in *Comment. rer. Aragonens.* pag. 140. Edit. Caesaraug. 1588. eamque probant Card. Baron. d. tom. 12. *Annal.* Anno 1118. num. 34. Eminen. Aguirre tom. 3. *Concilior.* pag. 332. Spondanus in *Epitome*, tom. 3. Anno 1118. num. 7. pag. 220. Edit. Lugd. 1614. & novissimè Francisc. Pagi *tom. 2. Breviar. Gestor. Pontif. Roman. in Gelasio II. saecul. XII. num. 17. pag. 576. Edit. Antwerp. 1717.* Indulgentias concedit omnibus elemosynam largientibus pro reparatione Ecclesiarum ejusdem Civitatis, quas publicavit Petrus Librana primus post restorationem Episcopus, in Epistola Encyclica, quam exhibent, & probant supra laudati, in qua universos Christiani Orbis Archiepiscopos, Episcopos, ceterosque fideles alloquens, hæc de Mariana Pilarensi Ecclesia, tunc recens à Maurorum servitute liberata, asserit: *Ac Beata, & Gloriosa Virginis Mariae Ecclesiam, quæ diu (proh dolor!) subjacuit Sarracenorum ditioni, liberari satis audivistis; quam beato, & antiquo nomine, Sanctitatis, ac Dignitatis pollere novistis.* Nisi enim Marianam Apparitionem, ejusque miraculosa fundatione nobilitata hæc Ecclesia crederetur, vix aut ne vix quidem percipi potest, quo pacto Sanctitatis, ac Dignitatis ejus fama universum Christianum Orbem pervasisset; aut quomodo oblivioni data non fuerit quatuor illis præcipue sæculis, quibus sub Maurorum captivitate jacuit?

Calixtus III. in Bulla Datt. Romæ apud S. Mariam Majorem 9. Kal. Octob. Ann. 1456. mirabilem Apparitionem sic narrat: *Beata Maria, antequam ad Calam. assumeretur: Beato Jacobo Majori in Columna marmorea apparuit, & ob hoc ipsa Ecclesia nomen B. Mariae de PILARI assumpsit, ac inibi quamplurima, & infinita miracula Divina permissione dictum sunt, necnon Christi fideles cum magna devotione, & veneratione Imaginem ejusdem Beatae Mariae, & ejus filii in quadam Capella ipsius Ecclesiae, quæ de mandato dictæ B. Mariae per dictum B. Jacobum fabricata, & Camera Angelica Dei Genitricis de PILARI nuncupata, & appellata existit, colunt, & venerantur, & cum magna devotione visitare non cessant.* Asservatur in Tabulario publico Sanctæ Ecclesiae, & eam transcribunt multi gravissimi Authores.

Clemens VII. in Bulla Datt. Bononiae 3. idus Februar. Anno 1527. sic Basilicam Pilarensem indigitat: *Ecclesia ab initio suæ miraculosæ fundationis, ut piè creditur, & illic affirmatur prima totius Hispaniæ fuerit, quam quidem Bullam refert, suaque Authoritate Apostolica roborat Sixtus V. in Bull. dat. Kalend. Junii Anno 1598.*

Paulus IV. in Bulla confirmatoria Privilegiorum Datt. Romæ apud S. Petrum die 10. Augusti Anno 1558. Traditionem nostram per hæc comprobat verba: *Vobis, & Ecclesie vestrae, quæ inter ceteras sub vocabulo B. Mariae Ecclesias, prima B. Mariae de PILARI nuncupata existit, ac Capellæ inibi de mandato ejusdem B. Mariae per B. Jacobum fabricata, & Camera Angelicæ Dei Genitricis de PILARI nuncupata, & appellata.*

Clemens X. in Bulla Unionis Ecclesiarum Sanctissimi Salvatoris, & B. Mariae de PILARI Datt. Romæ apud S. Mariam Majorem 3. idus Februar. Anno 1675. Festivitatem Apparitionis Deiparae sic adornat: *In die verò duodecima Octobris, in qua celebratur Solemnitas Apparitionis, ut vulgè vacant, Sanctissimæ Virginis Mariae, fiat alia Processio generalis, cum eadem Solemnitate, qua celebratur predicta alia Corporis Christi.*

Ex ijs luculentissimis Romanorum Pontificum testimoniis, arripimur, ut usurpemus, & huc transcribamus, quæ de Innocentio III. Pontifice Maximo, de consimili Tra-

ditione loquente literis mandavit Lucas Tudensis, tom. 25. Bibliothec. PP. lib. 2. cap. 11. pag. 224. edit. Lugd. 1677. ubi: Quid hac auctoritate clarius? Quid his verbis verius, quæ à Throno Dei, huc est, à Romana Ecclesia per os sacrum cunctorum patris Innocentii exierunt? Non est jam quod contradicat Catholicus. Non est quod contra sentire debeat Christianus: etenim quæcumque à Romano Pontifice Catholice proferuntur, sicut Divina præcepta servanda sunt à fidelibus.

Serenissimus Dominus Rex D. Joannes II. in Privileg. Datt. Casaraug. 26. Octob. 1459 eandem Apparitionis traditionem sic narrandam suscipit: Contemplatione, & favore ipsius Ecclesie, quæ inter alias Hispaniæ Divinis mysteriis, & miraculis resurget, & de illius institutione & ædificatione, testante Historia, multa miraculosa referuntur, & principaliter illud mirabile, quod in vita ipsius Beate, ac gloriose Virginis, ejusque jussu à B. Jacobo Majori Apostolo constructa, & ædificata extitit, in cujus capite ipsa Beata Virgo, Pilare marmoreum, quod sibi à Cælo transmissum habuerat, & supra quod eidem B. Apostolo apparuit, firmari, & collocari jussit.

Prudentissimus, ac Serenissimus Dominus Rex D. Ferdinandus cognomento Catholicus, in Privileg. Datt. Metinæ del Campo 12. Aprilis Anno 1504. Miraculosam Apparitionem, Templique constructionem, per hæc disertissima narrat verba: Sanè ex Catholicis Occiduis neminem latere existimamus, apud Urbem Casaraugustam, quandam esse mirificæ devotionis sacram, & antiquissimam Ædem, sive Templum celebre Purissimæ, ac Intemeratæ Virgini Dei Genitrici dicatam sub vocabulo B. Mariæ de PILARI, innumeris, & assiduis miraculis præfulgentem, ubi ipsa suavissima Virgo, adhuc in humanis agens, Hispani Populi miserata, nondum Orthodoxæ fidei lumen intuentis, se se Divo Jacobo, & circumstantibus mirum in modum supra lapideam Columnam corporaliter videndam obtulit; unde cunctis serè Hispaniæ Gentibus, cæca gentilium credulitate obduratis, lux salutaris exorta est; quo tamen in loco, relictis ab eadem Immaculata Virgine Columna, & desuper candida ejus Effigie, ab ipso B. Jacobo, & eum sectantibus, Sacellum ibidem perexiguum constructum fuisse asseritur, quod primum, Ecclesiæ nomen, in Hispania obtinuit.

Statutum Ecclesiæ Casaraugustanæ, ab Ordinario, & Capitulo de anno 1471. conditum, circa Solemnitatem sex Caparum in Festivitate S. Jacobi, hæc de Apparitione Deiparæ habet: Considerantes, quod primam hujus Civitatis Ecclesiam ipse (Jacobus) fundaverit, & sua presentia Dei verbum, in nostra hac prædicaverit Urbe; ejusdem gloriosissimi Apostoli natalitium diem 25. Julii ordinamus. Et statuimus sub solemnitate sex Caparum in Metropolitana Ecclesia Casaraugustana perpetuis temporibus celebrandum; & licet in ceteris octavis, Virginis Officium propter solemnitatem augendam omittatur; in iis tamen ob memoriam Apparitionis, qua adhuc vivens, hæc in Civitate eidem Apostolo, Virgo Gloriosissima apparuit, non duximus omittendum. Sententia ab Ordinario Casaraugustano de anno 1502. lata in favorem Ecclesiæ Pilarensis, super exemptione à solutione charitativi subsidii, hæc de Mariana Apparitione habet: Constat etiam, quod dicta Ecclesia, in qua gloriosa Dei Genitrix, super Pilare Marmoreum Angelicis manibus deportatum, apparere dignata est, &c.

Historia antiquis characteribus quingentis, & ultra ab hinc annis scripta in fine Moralium S. Gregorii Magni à Tajone Casaraugustano Episcopo, è Roma transmissorum, (ut prævia citatione Promotoris Fiscalis, ac rigoroso examine, inspectaque characterum antiquitate per Peritos, per Ordinarium Casaraugustanum judicialiter est comprobatum) mirabilem Apparitionem cum omnibus suis circumstantiis ad amicum narrat. Supra laudata, & alia documenta nostram Traditionem comprobantia, asservantur in Tabulario publico dicte S. Ecclesiæ.

Rursus, successivus, nec unquam interruptus per tot sæcula Cultus huic Sacræ Imagini à Fidelibus tributus, & à Parentibus in filios religiose transfusus, cum innumerabilium gentium concursu, & applausu, de quo vidend. Balla. Calixti III. sup. laudata Thom. Maluend. de Antechrist. dic. cap. 5. pag. 203. Frideric. Forner. Palm. Triumphal: miraculor. Eccles. lib. 3. pag. 699. Edit. Ingolstadt. 1621. Cancellot. ubi sup. pag. 399. Card. Baron. ubi sup. dict. num. 34. & Hieronym. Zurita lib. 4. Annal. Reg. Aragon. cap. 91. col. 3. edit. Casaraug. 1669. mirifice nostram Traditionem confirmat; siquidem etiam num, fervescente Tyrannorum Imperatorum sævitia, & Sacris Deo, ac religiosis locis indictum, ac illatum crudele bellum; hæc Sacrosancta Columnata Camera, incolumis, & illibata permansit, ut testantur Gaspar Sanctius ubi sup. tract. 2. cap. 8. pag. 36. Cancellot. ubi proxime, d. pag. 399. Petr. Abarca in Annal. Reg. Arag. part. 1. num. 18. pag. 69. col. 1. edit. Matrit. 1682. Hieronymus Baptista Lanza Homiliar. tom. 2. Hom. 21. §. 23. num. 65. pag. 387. edit. Lugd. 1659. Michael. Anton. Fancès, de Eccles. Cathedral. cap. 2. num. 12. pag. 13. edit. Venet. 1698. & alii innumeri. Nec hisce duntaxat temporibus, sed & posterioribus sæculis, ac inter Arabum multitudinem univer-

sam

fam Hispaniam vastantem, hæc venerabilis Basilica, tanquam Sacra per fugi Ara ab Episcopis, & fidelibus est habita, ut disertis verbis testatur Hieronym. Zurita in *Indice Latino ad annum*. 889. pag. 13. edit. *Cæsarug.* 1578. Joann. Pined. *Monarch. Eccles. part. 2. lib. 10. cap. 25. §. 4. pag. 56. edit. Barcin.* 1594. Guillelm. Guppemberg. *Atlas Marian. tom. 1. cent. 3. Imagin.* 231. pag. 343. edit. *Monach.* 1672. & præ omnibus Hieron. Blancas in *Comment. pag. 3. & 143.*

Viterius, stupenda jugilque miraculorum, ad invocationem B. Mariæ de PILARI præratio, non parum nostram confirmat Apparitionis traditionem; etenim inibi quàm plurima, & infinita miracula, Divina permissione diètim fiunt, testante Calixro III. in laudata Bulla, ac Ferdinando Catholico in supra citato Privilegio, ibi: *Templum celebre Purissimæ, ac Immaculatæ Virgini Deigenitrici dicatum sub vocabulo B. Mariæ de PILARI, innumeris, & assiduè miraculis præfulgentem.* Ec plura in specie referuntur miracula, à D. D. Felice Amada in Libello, cui est Titulus: *Compendium Miraculorum B. Mariæ de PILARI, edit. Cæsarug.* 1680. sed omnium portentosissimum fuit, quod anno 1640. contigit Michaeli Joanni Pellizer, in restitutione cruris bieonio ante abscissi, auctoritate, & Sententia Ordinarii, prævio diligentissimo scrutinio, ritè comprobatum, quod contra A catholicos, carnis resurrectionem negantes, multis extollunt P. Thyrsus Gonzalez, in *Manuduct. ad convers. Mahumetan. tom. 1. lib. 3. cap. 6. à pag. 219. ad 222. edit. Matrit.* 1687. Laurent. Chryso gon. *Mund. Marian. part. 2. disc. 17. pag. 385. & seq. num. 43. col. 2. in fine, edit. Patav.* 1651. Guillelm. Guppemberg. ubi sup. *Imag.* 231. pag. 348. Petrus Neurath. in Opusculo, cui est titulus: *Miraculum D. Virginis, quæ Cæsarugustæ crus Pueri abscissum restituit. pag. 3. edit. Matrit.* 1642.

Infuper, communis Scriptorum consensus pro nostra Traditione miraculosæ Apparitionis B. Mariæ de PILARI uniformiter conclamat; habemus siquidem, Catalogum quadrigentorum, & ultra Authorum, tam Exterorum, quàm Indigenarum, nostram Traditionem communi calculo confirmantium, inter quos, alii Eminen. Cardinales, alii Illustrissimi Prælati, alii Viri virtute, & sanctitate conspicui; alii Historici, alii Theologi, & alii Jurisperiti, omnes tamen ab omni suspicionis labe alieni, adeò ut pro nostra Traditione possit usurpari illud S. Augustini *lib. 2. de duab. Animab. cap. 11. Nonne ista cantant, & in Montibus Pastores, & in Theatris Poetæ, & Indocti in circulis, & Docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in Orbe terrarum Genus humanum?*

Tandem praxis Sanctæ Sedis similes Apparitiones, & traditiones approbantis, suadet concessionem Officii Proprii miraculosæ Apparitionis B. Mariæ de PILARI, præcipuè restrictam Traditioni Ecclesiarum Hispaniæ. Enim verò præterquamquòd in Breviario Romano quàm plurima adsunt exempla similium concessionum; in ipsis Urbis Basilicis sæpissime observatur; siquidem in Officio Clericis Matris Dei in Porticu, vulgò de Campitelli Romæ existentibus concessio, pro Apparitione Deiparæ facta Sanctæ Gallæ ad diem 17. Julii, Lect. 4. sic Apparitio narratur: *Hæc in palmari gemma Sapphiro persimili, aureis livetis expressa, aliisque non vulgaris pretii lapillis exornata (quemadmodum ex constanti Traditione, vetustisque monumentis habetur) mirabiliter apparuit in Aedibus S. Gallæ: In Basilica Lateranensi in Officio S. Pancratii ad diem 12. Maii in 6. Lect. dicitur: Et mirum planè est, quòd refertur, videlicet, quòd cum Sacra eadem Basilica depopulantibus flammis absumeretur, tribus diebus, totidemque noctibus, è Sacro Pancratii Capite ab igne nec minimum læso, & sanguis, & lacrimæ prodigiòse emanarunt. In Vaticana, in Officio Commemorationis SS. Martyrum, quorum Reliquiæ in dicta Basilica requiescunt sub die 22. Junii in 4. Lect. hæc habentur: Sacra Culeitra fidelium cultui exposita è sublimi adeò pender, scilicet grandis tapes abductis linteis, sive panno, quo involuta SS. Martyrum corpora persecutionis tempore à Christianis ad sepulturam delata fuisse, vetus traditio est. In Basilica Liberiana, in Officio Proprio Translationis Sacræ Imaginis B. Mariæ Virginis, in ultima Dominica Januarii Lect. 5. hæc dicuntur: Illam namquè à S. Luca Evangelista depictam fuisse, & à S. Gregorio Magno celebri, solemniquè supplicatione ad S. Petrum delatam, pestilentiam, quæ tunc Urbem atrociter vexabat, depulisse, antiqua, & constanti Traditione à Majoribus accepta, omnes piè sentiunt, ac fatentur.*

Hæc motiva sufficiant pro nunc ad promovendum Officium Proprium Columnatæ Mariæ Apparitionis, præcipuè verò cum teste Augustino de *Civitat. lib. 2. cap. 28. Nihil turpe ac flagitiosum spectandum imitandumquè proponitur, ubi veri Dei, aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.*